

S. nullam plane esse nisi personalem diversitatem, indeq; has tres Personas unum omnino esse, quoad omnia essentialia, nimirum quoad essentiam, potentiam, voluntatem, majestatem, gloriam. Plures vero respectu Personarum; Velut hæc latè ex sensu præscripti Canonis D. Ambrosius deducit de fide ad Grat. l. 5. c. 2. ubi asserit in DEO esse ἐνότης, non autem ποικιλία, (illam ad naturam, hanc ad personam referendo.) Sicut una ἐστὶς in Deo est, non una singularis Persona, & una ἐστὶς multiplicatis per se subsistenti modis, multiplicat quidem Personas, ipsa vero, ut ante docuimus, in æternum multiplicari nequit.

XLIX.

Tali ergo modo, cum orthodoxa augusti Augustini ex omologesi concludimus, quam tom. 7. de anim. & ejus orig. l. 2. c. 3. habet: Omnis Natura, inquit, vel Deus est, qui nullum habet Autorem, vel ex Deo est, qui ipsum habet Autorem; Sed quæ habet autorem Deum, ex quo est, aliqua facta non est, aliqua facta est; porro quæ facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est Filius est unicus, quæ procedit est Spiritus S. Et hæc Trinitas unius est ejusdemq; natura; Nam hæc tria unum sunt, & singulam quodq; Deus, & simul omnia unus Deus. At verò illa natura quæ facta est, Creatura nuncupatur, Creator autem Deus, illa scilicet S. Trinitas. Porro quæ creatura esse dicitur, ex Deo sic est, ut tamen ex ejus natura non sit facta. Quæ sic dextrè considerata, nobis fræni instar esse possunt adversus peccata in S. Trinunitatis articulum, calcar ad pietatem veram, remedium adversus desperationem, & totius nostræ fidei scutum ac munimentum.

L.

Et hanc orthodoxam fidem juxta Scripturas S. integram servare nitamur, contra Hæreses, cum Noetianorum & Sabellianorum, tum Arianorum, Servetorum, Donatistarum, & hodiernorum Antitrinitariorum ac Tritheitorum, obsoletas illas pridemq; verbo Dei jugulatas blasphemias ab Inferis revocantium. Quos
Hære-